

ceptum, & altè fuerit impressum, quod infinitas alias propagines non minus inauspicatas & infelices effudit. 2 Pœnitentiam denegant hominibus qui post baptismum susceptum in abnegationem fidei lapsi sunt infirmitate quadam & vi persecutionis. Dicit enim Nouatus, *μετὰ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι πεπρωκότα*, vt ait Epiphanius. Ad cuius suæ sententiæ confirmationem abusus est loco Scripture qui est Hebr. 6. qui tantum pertinet ad peccatum contra Spiritum sanctum, non autem ad hæc peccatorum genera. At Christus exemplo Petri docet lapsis pœnitentiã peccatorumque remissionem non adimi: quæ si prorsus iis esset deneganda, frustra dixisset idem, Quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo, Matth. 18. versu 18. Cathari duriores suo præceptore, omnibus in vniuersum lapsis veniam denegarunt. 3 Admonitiones priuatas publicasque hac ratione tollunt. 4 Secundas nuptias damnant, quas post Baptismum perinde atque adulterium ipsum detestantur. Epiphanius. Cuius rei rationem referunt, quòd Paulus Episcopum iubet vnius tantum vxoris virum esse, 1. Timoth. 3. quasi vnius vxoris virum esse sit secunda coniugia ex honestarum legum præceptis contracta damnare. Est autem ei vxori cum qua ex Dei verbo diuortium facere non potes, viue aliam superinducere. Id quod illo seculo frequens & vsitatum fiebat magno sacri coniugii contemptu. Hoc venenosum dogma à Mōtanistis hauserunt Cathari, & ad doctoris sui errores adiecerunt. 5 Rebaptizant iam baptizatos si post Baptismū labantur & publicè peccēt. Id quod fuit illis cū Marcionitis cōmune, & postea Donatistarū